

DE  
**HAEMORRHAGIA UTERI.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

**FRIDERICA GUILIELMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. M. FEBRUARII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**AUGUSTUS GUILIELMUS HOFFMANN**

ERFORDIENSIS.

---

**OPPONENTIBUS:**

H. ZIMMERMANN, med. et chir. Dr.

A. BENEDIX, med. et chir. Dr.

R. QUEHL, theol. et philos. Stud.

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

V I R O

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO

DOMINO A D'OUTREPONT,

EQUITI ORDINIS CIV. MERITORUM CORONAE BAVARIAE,  
MED. ET CHIR. DOCTORI, REGI BAVARIAE A CONSILIIS  
MEDICIS, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVER-  
SITATE MAXIMILIANA HERBIPOLITANA, CLINICAE OB-  
STETRICIAE DIRECTORI ETC.

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## P R O O E M I U M.

---

**A**ntiquo more ferente, ut, qui summos in medicina honores assequi velit, dissertationem scribat, in materie de qua exponerem eligenda, me per diu fluctuasse, ingenue fateor. Ab juvene enim, qui medicinae se dedit, parvo quatuor annorum spatio tanta scientiarum, quibuscum medicina cohaeret, copia summam diligentiam studiumque petit, ut ad accuratiorem singulae rei contemplationem instituendam tempus adipisci non possit. Et quamquam peritos viros dissertationem lecturos esse, sperare minime audeo neque opusculum meum mox oblivioni, qua quotidie ejusdem generis mille pereunt, item dari me fugit, tamen vehementissime volui aliquid componere, quo fortasse legenti nisi voluptas quaedam, certe non ira vel taedium moveatur.

Quae cum ita essent, ut de argumento ex arte obstetricia sumpto scriberem, me maxime impulsus vidi, et quod per totum, quo medicinae studiis delectatus sum,

tempus illa ars majore semper diligentia atque amore me implevit, et quod fortuna quaedam secunda me ad d'Outreponium, virum illustrissimum ejusque artis peritissimum duxit, a quo per annum in universitate Herbitopolitana arte obstetricia imbutus sum. Itaque in collegiis ab illo viro privatissime institutis de haemorrhagia uteri summo studio auditá cum majorum aliorum virorum celeberrimorum operibus accurate comparavi atque, quas hac de re sententias adeptus sim, sequentibus paginis benevolo lectori proponere conabimur.

Cui autem viro libentius hasce studiorum primitias dedicare possim, nisi d'Outreponio ipsi, qui etiam ad hocce opusculum componendum me impulit? Itaque ignoscas, vir illustrissime, quod Tuo nomine clarissimo opusculum meum ornare ausus sum, et tantum reverentiam atque amorem cognoscas, quo semper Tui pio gratoque animo recordabor.

---

## PROLEGOMENA.

---

Uteri haemorrhagiae, quae et in feminis gravidis et non gravidis inveniuntur, sunt in his vel morbus idiopathicus vel symptomaticus, quorum alter in pathologia, alter in chirurgia tractatur, gravidarum autem metrorrhagia ad artem obstetriciam, pertinet. Sed quum opusculi hujus fines superaret, si de omnibus metrorrhagiae generibus exponere vellem, tantum ad ea me convertam, quae in arte obstetricia medicorum curam expetunt.

Et quis est, qui dubitet, quin metrorrhagiae in gravidis, parturientibus et post partum summi sint momenti, quod jam experientia docet, plurimas mulieres aut parturientes aut statim post partum mortuas nimio sanguinis profluxu vitam amisisse. Itaque hae sunt tres mulieris conditiones, quae in haemorrhagiis conspiciendis oculos maxime in se convertunt: quare de argumento, quod defendere mihi in animo est, ita disseram, ut

I. de metrorrhagiis gravidarum

II. de metrorrhagiis parturientium

III. de metrorrhagiis statim post partum dicam.

Quarum haemorrhagiarum causae vel praedisponentes, vel occasionales, vel proximae sunt, et ut morbo totius organismi vel genitalium conditione anomala, ita noxiis rebus externis, quae in genitalia valent, efficiuntur.

Causas praedisponentes primum sequentes habeo: aetatem infantilem, gravidarum vel parturientium debiliorem habitum et imbecillitatem morbis chronicis, blennorrhagiis, diarrhoea et dysenteria adductam. Tamen non imbecillitas solum, sed etiam habitus virilis cum plethora conjunctus feminam ad haemorrhagiam praedisponunt. Genitalium morbi, qui huc pertinent, sunt: menstruatio irregularis (vel praecox, vel nimia, vel longius durans), torpor uteri, qui aut congenitus aut acquisitus esse potest, obliquitas quod attinet situm et quod formam, retroversio et anteversio, scirrhus et carcinoma uteri. Porro causae praedisponentes sunt partus priores irregulares, praecipue placentae retentio, abortus et denique graviditas mola effecta.

Causae occasionales aut sunt externae aut internae; ad externas pertinent ictus, casus, uteri pressio et ejus laesiones traumaticae; porro saltando, currendo, equitando, clamando, sternendo, oneribus ferendis adducuntur. Etiam causae occasionales sunt genitalia malis pessariis irritata, manustupratio et coitus abusus, praecipue si vir vel longiorem habet penem, vel proveciore aetate multo tempore ad semen ejaculandum utitur. Internae causae occasionales partim animi affectus, ut terror, tristitia, augor et al., partim corporis morbi, praecipue acuti et inflammatorii. Ge-



nitalium morbi, qui huc pertinent, metritis, fortasse etiam placentitis, placentae hypertrophia et atrophia sunt. Summum autem momentum semper placentae situs irregularis habetur, sive placenta est praevia, sive, quod Wenzel et d'Outrepont volunt, in anteriore uteri pariete, sive, Ascherno auctore, ex parte in tuba Fallopiana jacet. Etiam graviditas multiplex, vel mola effecta inter causas occasionales numeranda est.

De causis proximis in singulis metrorrhagiarum generibus illustrandis melius agi posse mihi videtur, quare statim ad hanc rem me converto.

## I. METRORRHAGIAE GRAVIDARUM.

### §. 1.

Gravidarum metrorrhagiae in mense primo, secundo et tertio graviditatis frequentiores sunt, et semper summam medici curam requirunt, quod levioris quidem momenti esse possunt, sed saepe abortum, aut quod pessimum, irregularem placentae situm indicant.

### §. 2.

Levioris momenti haemorrhagia uteri est, si ex menstruatione reversa sequitur. Qua in re dignum est, quod commemoretur hoc rarius accidere, et ex d'Outrepontii sententia menstruationem in graviditate haud plus semel reverti. Et quod rarissime invenitur, est men-

struatio, quae ante graviditatem non aderat et in gravida adest.

### §. 3.

Etiam illa ad hoc genus pertinet, quae ruptura varicis in uteri interiore parte sitae efficitur. Hoc autem rarissime inveniri videtur, nam plures artis obstetriciae peritissimi viri de varicositate uteri partis interioris dubitant. Saepissime sanguinis ex varicibus profluxus rupturam varicis in vagina vel ad portionem vaginalem sitae sequuntur. Qua de re loqui hic non est locus.

### §. 4.

Denique tertium metrorrhagiae gravidarum genus noxium non est. Tales metrorrhagiae activae nominantur et congestionem plethorae adductae crises habentur. Quod quidem probasse putant, qui in gravidis profluxus criticos etiam ex aliis organis viderunt, e. g. epistaxin criticam. Hoc fieri posse illa quidem re probatur, quod profluxus ex utero interdum aliis causis non praesentibus ex habitu plethorico oriuntur, nec solum damnum gravidis non afferentes sistunt, sed etiam iis levationem videntur comparasse. Ex alia autem parte plethora, quod jam supra diximus, causa praedisponens est, dum haemorrhagiae causa proxima velamentis ovi ex parte solutis efficitur, quod quidem, nisi alia intercedunt et si gravida medici praecepta observat, nullum ei periculum admovet.

## §. 5.

Postquam de levioribus haemorrhagiis exposui, ad eas venio, quae vel symptoma, vel graviora afferentes majorem medici curam postulant.

## §. 6.

Ad primi generis haemorrhagias spectant, quae placenta praevia efficiuntur. Hae quidem primo graviditatis tempore raro vehementiores sunt, et quo minus cum matri tum fructui nocent, eo majus periculum in partu cient; quare illo loco copiosius de iis dicam. Tamen negligi non possunt, quod non solum ad placentam praeviam dignoscendam valent, sed etiam si placenta praevia centralis est, sub graviditatis finem tam vehementes fieri possunt, ut partus praematurus sequatur.

## §. 7.

Sanguinis profluxus, qui velamentis ovi ex parte vel plane, aut placenta aut mola solutis oriuntur, semper summam medici curam exoptant, nam semper abortus vel partus immaturus vel praematurus imminet. Velamentis autem ovi plane ab utero solutis periculum depellere non licet, sed quae imminuerunt, accidunt. Sin ex parte tantum solutio velamentorum ovi evenit, aptis remediis adhibitis partus immaturus prohiberi potest. Pars autem soluta non denuo cum utero conjungitur. Qua ex re sequitur, uterum ab hoc tempore munere organi secer-

nentis fungi. Itaque duo mala adducuntur, scilicet fructus male tantum nutritur, et gravida leucorrhoea vexatur. Quae quidem evitari non possunt, et tantum si diagnosi instituta graviditas mola effecta certo probatur, mihi non solum partus praematurus non prohibendus, sed potius accelerandus esse videtur, ut leucorrhoea sequens depellatur.

### §. 8.

Ex iis, quae jam diximus, -constat, medico id maxime agendum esse, ne in metrorrhogiae genere causaque erret. Itaque primum ei constituendum est, an sanguinis profluxus e catameniis reversis exortus sit. Quae eum hac in re adjuvent, haec esse videntur: in menstruatione reversa profluxus causa non praeterita intrat, et valetudinis statum nullo modo perturbat. Profluxus tempus menstruationi respondet, quae postremo ante graviditatem aderat, et denique profluxus ab alio malo non comitatus permanet. Praeterea in illis tantum gravidis intrare solet, quae omnino vehementer frequenterque, et nisi primiparae sunt, in priore quoque lactatione menstruabant. Hancce diagnosin difficilem non habemus.

### §. 9.

Secundo loco constituendum est, utrum metrorrhagia placenta praevia, an velamentis ovi solutis efficiatur. Tum quidem diagnosi difficilior videtur, tamen singularibus, quae placentam praeviam adesse, aut non, probant,

symptomatibus adjutatur, atque etiam ex praeteritis velamenta ovi soluta cognoscuntur. Tertio nobis in lucem proferendum est, utrum femina ovo humano, an mola gravida sit. Nunc quidem diagnosis incerta est, tamen fortasse sequentia eam medico illustrent: uterus ex pelvi minore ad majorem celerius sese extollit, abdomen molle, portio vaginalis celerius et altius ascendit, sanguinis profluxus ex vagina est minor irregularisque, nec sine leucorrhoea, valetudo mala et denique priores fortasse fuerunt graviditates molis effectae. Haec autem symptomata, quod jam saepissime in feminis mola gravidis non inventa sunt, certa haberi non possunt. An denique scirrhus et carcinoma portionis vaginalis haemorrhagiae causa sit, interna exploratione facile probatur.

### §. 10.

Sanguinis profluxus ex placenta praevia et in primis graviditatis mensibus et in ultimo ejus tempore, ut jam supra demonstravimus, inveniuntur. Illi gravidae situ horizontali et apta vitae ratione summaque animi et corporis tranquillitate ultro sistunt. Posteriores autem jam fortiora remedia majoremque medici curam expetunt. Tum elixirium acidum Halleri detur, quod majore gravidae sensibilitate cum opio jungatur. Si autem constitutio plethorica et orgasmus sanguinis accedit, kali nitrico medicus aptissime utitur.

Venae sectionem omnino non suadeam, nisi forte graviora congestionis symptomata adsunt. Vehementiore

in sanguinis profluxu vagina usque ad uteri orificium globo ex linteo carpto praeparato obturetur, et si praematuri partus symptoma accedit, sanguinis profluxus ut temperetur, tam diu operam medicus det, dum orificium uteri aliquo modo extensum operationi, quam accouchement forcé nominamus, faveat. Qua de operatione paullo latius capite insequenti dicam.

### §. 11.

In metrorrhagiis, quae ovo placentave commoventur, indicatio duplex est, nempe partus praematurus aut prohibendus aut accelerandus, si impediri non potest. Abortus enim non prohibetur, si velamenta ovi plane se solverunt; tum orificium uteri se extendit et ovum expellitur. Speramus autem fore, ut fructus servetur atque prohibeatur abortus, si, quamquam gravida doloribus ad partum jam vexatur, orificium uteri nondum se extendit. Vir enim clarissimus d'Outrepoint iis medicis credere dissuadet, qui, quamquam orificium uteri jam extensum erat, abortum tamen se prohibuisse affirmant. Ut duplex illa indicatio efficiatur, sequentia suadeam. Gravida situ horizontali summaque et corporis et animi tranquillitate fruatur, temperatura sit moderata et potum acidum ac subfrigidum gravida bibat. Abdomen epithematibus frigidis obtegatur et praeterea medicus tinctura cinnamomi et, quam diu orgasmus et congestiones existunt, acidis mineralibus aptissime utatur.

## §. 12.

Nonnulli quidem obturationem per globum ex linteo carpto paratum suadent, qua quidem, quum haemorrhagia interna vehementior non possit adesse, non inepte utuntur; alii tamen abortum accedere viderunt, cui prohibendo maxime operam dederunt.

## §. 13.

Hac curandi ratione adhibita si per aliquot horas dolores ad partum non inrant et metrorrhagia sistit, fore, ut ovum servetur, maxime sperare possumus. Tranquillitas autem summa per sex vel octo dies nullo modo perturbanda est. Tum velamenta ovi ex parte tantum soluta esse certo scimus, quamquam timendum est, ne minima corporis contentio majorem solutionem efficiat. Quo facto haemorrhagia renovata abortum accelerat. Iterum igitur atque iterum medicus gravidæ mandare debet, ut quamque irritationem, praecipue coitum, spiritiosa etc. studio summo vitet.

## §. 14.

Hactenus de cura, quam orificio uteri non aperto instituendam esse putaverim.

Si autem uteri orificium se aperuit atque gravida vehementes verosque ad partum dolores accepit, quin partus praematurus immineat, non diutius dubitare, eumque tantum accelerare possumus. Secale cornutum des

et quam diu sanguinis profluxus permanet, epithemata subfrigida, adhibere pergas, atque tinctura cinnamomi utaris. Quibus remediis advocatis si sanguinis profluxus uteri orificio ex parte aperto permanet, commemorata obturatione uti possumus, hac tamen cautione, ut antea velamentorum rupturam adducamus. Obturatorium vel una cum ovo doloribus vehementioribus expellitur, vel a medico horis aliquot praeterlapsis ex vagina sumatur. Dolores ad partum si rariores neque fortes sunt, ope secalis cornuti vel infusi ratanhae cum tinctura cinnamomi augeantur, sed tunc tantum, quando sanguinis profluxus sistit, quod quidem ovo ex utero expulso semper evenire solet. Quo facto fructus vel digitis ex vagina trahitur, vel, si embryon majus est, forceps adhibetur.

### §. 15.

Quod ad graviditatem mola effectam attinet, in metrorrhagia curanda indicatio deest, qua, ne partus eveniat praematurus, agitur; hic contra vehementer desideratur, quem ad finem emmenagoga jam supra memorata dari solent. Itaque difficultatem tantum in diagnosi videmus, quae quibus causis et incerta et difficilis sit, jam supra exposuimus. Item prognosis in ejusmodi metrorrhagiis eo magis dubia videtur, quo major sanguinis jactura est, fortasse quod mola et uterus strictius cohaerent. Quare major medici cura impendenda est, ut quam primum molam extrahat, itaque metrorrhagiae finem ponat.



## §. 16.

Simplicissima curatio harum est metrorrhagiarum, quae scirrho et carcinomate efficiuntur, quod maxime nulla arte adhibita partus fit praematurus et sanguinis profluxus sistit.

---

## II. METRORRHAGIAE PARTURIENTIUM.

## §. 17.

Omnes quae in parturientibus inveniuntur metrorrhagiae ex sequentibus tantum quattuor causis oriri solent:

- 1) ex placentae situ irregulari
- 2) ex placenta seu partim seu plane soluta
- 3) ex uteri ruptura, denique
- 4) ex scirrho et carcinomate uteri.

## §. 18.

Sanguinis profluxus, ex irregulari placentae situ orti, aut minus vehementes placentam praeviam incompletam, aut vehementissimi placentam praeviam completam indicant. Illa eo modo in uteri pariete sita est, ut pars

ejus orificium uteri vel tangat, vel supra id promineat. Si prominet, tantum prognosis jam idcirco bona videtur, quod parturiens graviditatis tempore sanguinis jactura plerumque non est debilitata, atque quod haemorrhagia inter partum nunquam est vehementior. Quo in statu medico nihil restat, nisi ut velamentorum rupturam efficiat, quum primum uteri orificium sese aperire coepit; gravidae autem nunquam uteri contractiones musculis premendis adjuvare licet. Vehementiore in sanguinis profluxu etiam obturatio saepius commemorata adhiberi potest. Caetera autem a natura ipsa optime perficiuntur.

#### §. 19.

Si placentam praeviam completam esse medicus cognovit, ei sanguinis amissi quantitas accuratissime observanda est, quod sanguinis jactura et anaemia facile mors adducitur. Donec parturientis vires exhauriri non videntur, medicus ante uteri orificium satis extensum operationem non instituat, quae utero satis extenso minus naturae ipsius conamina perturbat. Matris autem viribus magnopere diminutis atque morte ex anaemia imminente, partus manu promovendus est, praecipue si dolores ad partum rariores sunt, nam ita tantum matris vitam servare licet. Quo in statu prognosis duplici ratione dubia videtur, nam et indicans et indicatum pari modo sunt periculosa: vehemens enim sanguinis profluxus atque curandi naturam maxime perturbans ratio facile matri supremum diem adducunt. Operatio hac in conditione manu

tantum perficienda et instrumentorum usus plane rejiciendus est. Orificii extensio in tempore dolorum vacuo agitur, et metacarpio per orificium ducto velamenta rumpuntur, ac legibus artis versio in pedes atque extractio instituitur. Placenta ex parte soluta plane solvitur neque ulla conditione relinquenda est. Quo modo metrorrhagia post partum adhuc perdurans sistatur, capite subsequenti exponemus.

### §. 20.

Metrorrhagia, quae placenta soluta evadit, majorem aut minorem vehementiam ostendit, solutione quidem aut partiali, aut totali. Causae solutionis, quae saepissime occurrunt, sunt brevitatis et circumvolutio funiculi umbilicalis, tranquillitas parturientis valde perturbata etc.

Profluxus cura modum ex profluxus vehementia accipit, et si epithemata frigida, acidorum usus etc. eventum secundum non praebent, suspicari licet, placentam plane solutam esse, nullumque aliud est remedium, nisi ut orificium uterinum vi adhibita extendatur et partus versione, vel forcipis applicatione perficiatur.

### §. 21.

Ruptura uteri et, quae eam sequitur, haemorrhagia inter partum oritur ex pelvi justo minore, ejus exostosis, parturiendi hyperdynamia primo partus tempore, quam secale cornutum incaute datum saepissime efficit. Porro causae esse possunt: dolores in partus primo ac

secundo tempore nimis premendo adjuti, orificii uterini atresia, versio neglecta, usus instrumentorum et manus in versione, si fructus jam ex parte in pelvi minore invenitur, forceps ante orificium satis apertum adhibitus etc.

Quo in statu prognosis pessima est, nam si foetus cum placenta, ruptura uteri facta, in cavum abdominis cadit, laparotomia indicata est, qua foetus servari potest; sin autem caput in apertura superiore quasi cuneo intrusum est, mater et foetus semper fere pereunt.

### §. 22.

Metrorrhagiae scirrho et carcinomate uteri productae non multum valent, nam ubi sanguinis profluxus orificio uteri aperto non sistit, partus arte finiendus est.

---

## III. METRORRHAGIAE POST PARTUM.

### §. 23.

Omnes metrorrhagiae post partum aut haemorrhagiae apertae aut occultae sunt, in illis sanguis per orificium uterinum et per vaginam effluit, in his sanguis effusus in uteri cavo coagulatur et serum tantum sese

profundit. Doloribus post partum sanguis coagulatus exprimitur, atque si iterum sanguis profluit, idem processus repetitur. Ex sanguinis profluxu modo ex corpore et fundo, mox ex collo uteri effuso, alterum discrimen in metrorrhagiis post partum exoritur.

Semper uteri contractiones deficientes metrorrhagiarum post partum proximam causam offerunt, et quae illas efficere solent, haec sunt: constitutio laxa, partus, qui capite nimis parvo, pelvi justo majore et vaginae laxitate celerrime perficitur (rarius autem, si partus nimis citati hyperdynamia erat causa), porro uterus sive copia liquoris amnii, sive graviditate multiplici nimis extensus. Etiam cura inter partum minus apta metrorrhagiam post partum profert, si medicus parturienti permittit, ut uteri contractiones premendo nimis augeat, si ei spirituosa non vetat, vel magnas acriorum et narcoticorum doses, suadet, si uteri orificium instrumentis adhibitis laeditur et denique, si placenta praemature et violenter adimitur.

#### §. 24.

Prognosis in sanguinis post partum profluxu semper dubia accuratiorem medici curam exoptat. Tempore, quod metrorrhagia perdurat, et amissa sanguinis quantitate vel melior, vel magis dubia redditur. Magna sanguinis copia si tempore brevi effluit, periculum venit celerius, sed profluxu sistente etiam celerius depellitur; si autem sanguis sensim effunditur, periculum, quo tardius intrat, eo majus videtur et vix depelli potest. Periculosa

symptomata haec sunt: oris et labiorum pallor, extremitatum frigus, pulsus debilis et vacuus, oscitatio, susurrus aurium, vertigo tenebrosa, angor, dyspnoea, oppressio pectoris, dolor in scrobiculo cordis, vomitus, asphyxia, convulsiones etc.

### §. 25.

Causa quam proximam esse supra diximus, scilicet contractiones uteri deficientes, apparet:

1. in uteri atonia et paralyysi
2. in uteri spasmo
3. in uteri inversione.

### §. 26.

Profluxus sanguinis uteri atonia effecti ad periculosissimos pertinent, nam quo magis sanguis diminuitur, eo uteri atonia major redditur, et paralysis uteri, quam infra latius excutiemus, cooritur. Ejusmodi metrorrhagiarum diagnosis, quum externa exploratione uterus non contractus haud difficile manu sentitur, facile instituitur, nam item interna exploratione orificium uteri relaxatum neque contractum invenitur. Contractiones deficientes ut restituantur, medici cura est, quae, prout metrorrhagia placentae retentionem comitetur, aut non, vario modo instituitur. Quam quidem rem, licet non ad hujus argumenti fines pertinentem, tamen quum in praxi summi sit momenti, praetermittere nolim.

Si retensio placentae metrorrhagiam comitatur, per

brevē tempus curandi ratio statim exponenda, quae contractiones auget, institui potest; quo modo si brevissimo tempore metrorrhagia non sedatur, medicus manum introducat, placentam solvat atque ex utero removeat. Quam rationem aptissimam esse clarissimus d'Outrepont comprobat, quamquam alii artis obstetriciae periti viri methodum magis expectativam instituendam et tum demum placentam solvendam esse contendunt, quando jam ultro ex parte soluta sit. Haec autem sententia nonnullorum virorum illustrissimorum experientia refellitur, qui metrorrhagiam cum placentae retentione non nisi placenta ex parte soluta exoriri posse confirmant. Qua re semper operatio indicatur et perficiatur, si aliis remediis se frustra uti medicus putat.

### §. 27.

Uteri contractiones, ut revocentur, donec syncope non adest, usus acidi phosphorici et aliorum acidorum mineralium itemque chinae indicatur; ratanham et secale cornutum tum demum adhibeas, si profluxu sistente uterum in contractionibus permanentem esse velis. Ut sanguinis ad uterum affluxus prohibeatur, nonnulli aortam abdominalem, vel premendo abdomine, vel manu in uterum introducta, comprimendam putant. Hanc autem rationem incertam habeo, quum permagnum illud vas in aliquod tempus claudi posse non verisimile sit. Item abdomen aethere et spiritu vini inspergendum non comprobo, quod ita systema sensibile nimis excitatur. Sac-

cus arena impletus, quem celeberrimus Kluge commendat, ex d'Outrepontii sententia compressionem nunquam tam aptam efficit, quam quae manibus perfici potest. Etiam injectiones in uterum factae, vel alia corpora inducta, ut fructum citri excorticatum suadere non audeam, quod metritis vel degeneraciones uteri organicae facile gigni possunt.

Itaque aptissimam rationem sequentem habeo: abdomen frigida vel humida manu fricetur atque illud et genitalia externa frigidis epithematibus ex glacie, nive, aqua cum aceto mixta paratis obtegantur. Quo sine eventu laeto facto, manu in uterum ducta leni internorum parietum frictione contractiones excitantur. Ubi autem, his frustra adhibitis, metrorrhagia perdurat et pulsum parvum vacuumque, extremitates frigidas, lipothymiam etc. profert, sensibilitas minuta augenda est, quem ad finem usum naphtharum, valerianae, castorei, moschi, serpentariae, ante omnia autem tincturae cinnamomi commendem. Busch etiam extremitates involutas esse vult, ita quidem, ut ab extremitatibus ascendatur, quum hoc modo cordi et pulmonibus sanguis deficiens adducatur.

### §. 28.

Paralysi hac curandi ratione frustra instituta apparente prognosis pessima est, nam feminae ex anaemia vitam amittunt. Sequentia symptomata diagnosin certam reddunt: mollis, insensibilis, per musculos abdominales vix discernendus uterus, genitalia externa et vagina fri-



gida, orificium uteri laxius et sine sensu. Sanguis ex vagina defluens dissolutus et foetidus. Pulsus exilis et formicans et denique totius corporis temperatura valde imminuta. Aegrotae, quae antea amicos et familiares amore complexae erant, nunc vix adspiciunt, et interrogatae non amplius querimonias edunt, sed se optima valetudine gaudere affirmant, quae felicitas mox, proh dolor, morte finitur.

Medicus si ultimo tempore vocatur et symptomata jam descripta inveniuntur, praeteritis diagnosis certa redditur: nam maxime uteri peralysim partus antecedunt, qui vel tempus solidum superaverunt, vel in quibus versio indicata est neglecta; plerumque autem est vehementissimus terror inter partum causa paralysis proxima.

### §. 29.

Uteri spasmi quadruplici forma inveniuntur. Completi nominantur, si omnes muscoli uteri spasmodice contrahuntur; incompleti, si vel muscoli transversi (quod quidem fieri, sunt qui negent) aut muscoli longitudinales et laterales, vel denique tantum uteri orificium contrahitur. Tria genera spasmi quum maxime in retentione placentae reperiantur, hoc loco praetermittens, de orificii uteri spasmo loquar, qui placenta ex utero remota intrat et haemorrhagiam occultam adducit.

Diagnosis facile instituitur, nam uterus externa exploratione magnus et mollis, atque interna ejusdem orifi-

cium plane vel ex parte contractum invenitur. Quo in statu ex vagina tenuis et sero similis sanguis defluit. Aegrotae de dolore in regione sacrali et in loco spasmo affecto periodice revertente queruntur. Accedit pulsus parvus et durus, pectoris oppressio, angor et dyspnoea, Tum prognosis melior est, nam sanguinis jactura plerumque exigua et tantum spasmo per diu permanente sensibilitas comminuta aegrotae pericula admovet.

Qua conditione epithemata frigida et remedia contractiones adjuvantia minime apta sunt. Qua re opium parvis dosibus saepius detur, atque ipecacuanha, castoreum, valeriana et serpentaria recte adhibentur. Orificium ipsum uterinum unguento ex belladonna parato (Chausier) illinitur, et chamomillarum cicutaeque infuso-decoctum vaginae injicitur. Spasmo superato medicus remediis contractiones adjuvantibus utitur, praecipue tinctura cinnamomi. Saepe sanguis coagulatus vel, relicta placentae pars spasmus et haemorrhagiam denuo revocat; tum exploratione tota manu facta coagula, vel relictam placentae partem removeas.

### §. 30.

In uteri inversione tum tantum nulla vel exigua haemorrhagia invenitur, quando post inversum uterum orificium spasmodice contractum est, quae res, quod ad haemorrhagiae periculum attinet, prosperrima est, quum tali conditione repositio, unicum sistendi sanguinis remedium, difficillima sit et vix perficienda. Spasmo orificii

non praesente repositio facilius est, et sanguinis profluentis remediis contractiones adjuvantibus adhibitis facile sistere solent. Operatione manu frigida facta manum per aliquod tempus medicus in utero relinquat, unde plerumque contractiones exoriuntur. D'Outrepont morbo superato nunquam uterum mox priorem contractilitatem accipere monet, qua re puerperam in lecto medicus retineat neque alvo tarda ei clyisma applicet, quia calore humido uterus facile relaxatur.

Quod denique ad profluxus sanguinis ex vasis orificii uterini et ad hos attinet, qui instrumentorum laesione efficiebantur, diagnosis facillima est, atque curandi ratio jam superioribus capitibus continetur.

---

LIBRI, QUIBUS IN ELABORANDA DISSERTATIONE  
USUS SUM.

---

Busch, Lehrbuch der Geburtskunde.

Kilian, H. F., Operationslehre für Geburtshelfer.

Von Siebold, Geburtshülfe nach Maygrier.

Aschern, Inaugural-Abhandlung über den Sitz der Placenta in der Muttertrompete.

Baehrens, A. H., Diss. de uteri haemorrh.

Leroy, A., Sur les pertes de sang, sur les fausses couches etc.

Clebsch, E. F. L., Diss. de haemorrh. uteri in parturientibus et puerperis.

---

## V I T A.

---

**A**ugustus Guilelmus Hoffmann, fidei addictus evangelicae, Erfordiae, Thuringiae urbe, natus sum anno MDCCCXVIII die. XXVI mensis Quintilis, patre Ludovico Joanne, matre Friderica e gente Schmidt, quibus adhuc vivis gaudeo. Primis litterarum rudimentis a praeceptoribus domesticis instructus, gymnasium Erfordense adii, quod directore Strassio tunc florebat, ibique incubui litteris, quae ad studia academica muniunt viam, et venia a praeceptoribus accepta legitimo militiae munere in cohorte peditum trigesima secunda per annum functus sum. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXXXIX. almam petii litterarum universitatem Berolinensem, ubi a t. t. Rectore Magnifico Ill. Mueller civium academicorum numero adscriptus et ab Ill. Schultz, t. t. Decano maxime spectabili, in album ordinis medici relatus sum. Per biennium hisce interfui lectionibus:

Ill. Trendelenbug de logice, Ill. Mitscherlich de chemia experimentalis, Ill. Kunth de botanice, Ill. Hecker de methodologia medica, Ill. Schlemm de osteologia, Cel. Dove de physice, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Mueller de anatomia et de physiologia; in arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Schlemm mihi duces fuerunt. Praeterea hasce frequentavi scholas: Cel. Troschel de chirurgia et de fasciis rite applicandis, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali. Post quattuor semestria Berolinum reliqui et aliam Herbipolitanam litterarum academiam petii, cujus civibus me adscripsit Rector magnificus Ill. Lassaulx. Praelectionibus interfui hisce:

Ill. Münz de anatomia universali, Ill. d'Outrepont de arte obstetricia, Cel. Mohr de pathologia et therapia speciali; sicuti exercitationibus clinicis cum medicis tum obstetriciis Ill. de Marcus et d'Outrepont.

Relicta illa litterarum universitate, anno MDCCCXLII. ad illustrissimam musarum sedem, quae Berolini floret, redii atque a Rectore magnifico Ill. Dieterici in civium academicorum numerum receptus, nomen professus sum apud Decanum maxime spectabilem Ill. Juengken. Intra duo semestria has adii scholas:

Ill. Müller de anatomia pathologica, Ill. Hecker

de historia medicinae, neque defui exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis Ill. et Cel. Wolff, Trüstedt, Dieffenbach, Jüngken, Schoenlein.

Quibus omnibus viris, de me optime meritis, gratias, quas verbis persolvere haud valeo, in sempiternum habeo maximas.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

---

## T H E S E S.

---

1. Illud placitum philosophorum, dolorem non esse malum, comprobare non possum.
  2. Tubus acusticus graviditatis indicium gravissimum praebet.
  3. Uti poëta, ita medicus nascitur.
  4. Qui aliqua corporis parte dolentes, fere dolorem non sentiunt, his mens aegrotat.
-